domini piscinalis. scriptum est. Cum ipsum in litore stantem
uiderent. non enim longe erant a terra. sed quasi cubitis
cc. trahentes rete piscium. per cc autem cubitos rete plenum
magnis piscibus discipuli ad dominum trahunt. effectum suae re-
surrectionis item in litore monstrantem. Cum sancti predica-
tores et iudaeis et gentibus uerbum fidei committunt atque utrius-
que populi electos a fluctibus seculi piscantur et ereptos ad futurae
gloriae pacis et immortalitatis perducunt. Circuitur ergo
capitelli secundi. Ducentorum habebat ordines in circulo granato-
rum cum sublimitate regni caelestis utriusque populi elec-
k' tos in una beatitudinis arce colligit. Et statuit duas colum-
nas in porticu templi. Cumque statuisset columnam dextram uo-
cauit eam nomine iachin. firmitas. Similiter erexit secun-
dam columnam et uocauit nomen eius booz. id est in robore. Dexte-
ra columna ut supra diximus exprimit figuram doctorum
qui primitiuam in hierosolimis instituerunt ecclesiam.
Secunda eorum qui ad praedicandum gentibus destinati sunt.
Vel certe dextera columna eos significat qui uenturum incar-
ne dominum prophetando praedixerunt. Secunda illos qui hunc
iam uenisse et mundum suo sanguine redemisse testan-
tur. Et apte uocabulo simul ambo censebantur columnae.
Cum una firmitas altera in robore dicta. Ut una fidei
et operis fortitudo cunctis in sanctis doctoribus monstraretur.
Nostrique temporis in ueritate tacite notaretur. Ubi se et nunc
nulli doctores sacerdotes et columnas domus dei uideri atque
appellari uolunt. Cum nihil in se prorsus firmae fidei ad